

- re præcessoris decursa, & non soluta: *Federic. de senf. conf. 81.*, *Zenzelin. in Clem. 1. de cens.*, *Card. Zabarell. ead. Clem. 1. quest. 11.*, *Bellet. dis. Clerical. post præcitatos p. 1. tit. de Clerico debitore §. 3. num. 3.*
- 21 Et pro canone decurso, tempore præcessoris, quod conveniatur novus possessor rei Emphiteuticæ: *Afflict. decis. 95. num. 1. 2. 3.*, ubi *num. 4.*, quod idem habet locum in feudo, in tributo, & collecta; *Fulg. de Jure empb. tit. de contract. empbit. quest. 31. num. 5. ad finem.*
- 22 Ita ut in prædictis omnibus casibus, licitum sit creditori, agere contra hæredem præcessoris, vel contra possessorem fundi, vel Beneficii: docent præcitati D.D. quibus addas: *Franc. March. decis. 450. num. 5 p. 1.*, *Jo. Bapt. Costa de ratione ratæ quest. 149. num. 12.*, ex ea præcisa ratione, quia sunt onera realia, & res transit cum suo onere. *Julianus l. Cajus ubi Barbos. ff. de manumiss. test.*, etiam si sit singularis successor l. cum fundo ff. de servit. rust. prædio, *Cravet. conf. 217. num. 3.*, *Gabriel. conf. 47. num. 6. vol. 1.*, *Bellet. loco supracitato num. 6.*, & *7.*, *Cenci. de cens. p. 2. c. 2. quest. 5. art. 8. num. 2.*, quia obligatio realis, sequitur rem, sicuti lepra leprosum, *glos. in l. frater à fratre ff. de conduct. indeb.*
- 23 Immo successor in Beneficio, pro hujusmodi oneribus decursis, & à præcessore non solutis, potest conveniri actione personali de directo, quæ est in rem, scripta, ut de censuario, & emphiteuta notat *Gabriel. conf. 47. num. 6. Vers. quique conveniri potest num. 1. vol. 1.*, per *tex. in l. si tertius §. si prius ff. de aqua plu. arc.*, ubi *Bartol. num. 4.* & *l. inter debitorem ff. de pactis l. Imperatores ff. de publ.*, & *verbal. l. cum possessor §. fin. ff. de cens.*, *Forel. prac. censual. in V. tamquam res judicatas num. 27.*
- 24 Seu saltem possessor, compelli potest alternativè, aut præteritas contributionesolvere, aut beneficium dimittere, juxta scripta per *Gabriel. d. conf. 47. num. 11. vol. 1.*
- 25 Et quod in decimis, & tributis competit de directo, actio personalis, in rem, scripta, pro præteritis firmat idem: *Gabriel. d. conf. 47. num. 12.*, *Aretin. conf. 15.*, *Soccin. conf. 217. vol. 2.*, *Ancheran. conf. 386.*, *Belamera de charitativo subsidio q. 51.*, *Bartol. in l. moscobis ff. de Jure fisci*, reddunt rationem, quia actio illa personalis, assumit effectum rea-
- lis: *Merlin. de pigno.*, & *hypoth. l. 1. quest. 10. num. 6. ubi num. 13.*, quod maximè habet locum in successore tit. lucrativo, ut in beneficio Ecclesiastico.
- 26 Quæ prædicta firmantur, eo quia debita contributio, pro Seminario taxata, onus est Beneficii, non verò beneficiati, quo casu, beneficium transit ad successorem cum suo onere, *c. 1. de solut.*, quo fundamento *Romanus conf. 440. num. 4.*, dixit successorem in hospitali, teneriolvere debita pro victu, & vestitu, contracta ab hospitalario præcessore, maximè si sit onus à lege inpositum, ut in nostro casu.
- 27 Firmatur secundò; quia hujusmodi taxa, pro Seminario est imposita, pro causa pia, pro alendis scilicet pauperibus Clericis, & preparandis ministris Ecclesiæ: *Trid. sess. 23. c. 18.*, singularis autem fundi possessor, convenitur pro decursis, & non solutis à præcessore, pro causa pia impositis, ut exemplificando in anniversariis dicit, *Surd. de alim. tit. 8. privil. 51. num. 3.*, & *4.*, ubi, quod maximè militat, quando corpus oneratum est certum, *Gratian. discip. for. c. 94. num. 54.*, *Guido Papa q. 576.*, *Forel. prac. censual. Vers. hujusmodi num. 113.*, *Tiraquel. tract. de privil. causæ piæ caus. 63.*, *Roman. singular. 435. ad finem*, *Mandos. in add. ad Roman. c. 388. in Vers. sequuntur*, & *in V. Manifestant.*
- 28 Tum, quia hæc sunt, pro alimentis Clericorum pauperum, taxata, ut dictum est; quo casu convenitur successor, pro præteritis, quasi sit privilegiū alimentorum, *Surd. de alim. d. privil. 51.*, quia fundus pro alimentis, est tacitè hypothecatus *glos. in l. Lucius ff. de alim. leg.*, & *in l. Cajus ff. de annuis leg.* & *in l. cum hi. Vers. idem est ff. de transact.*, *facit tex. in l. 2. in fin. ff. de alim. leg.*, latè, *Surd. d. tit. 8. privil. 51.*, ubi extendit hoc privilegium ad decimas, tributa, oblationes, ad effectum, ut ad præteritas, & non solutas, teneatur singularis successor, *Guido Papa d. quest. 576. num. 6.*, *Ripa in l. 1. §. si hæres n. 14. ff. ad Trebel.*
- 29 Et prædicta habent locum, vel onus sit inpositum super fundo, vel fructibus, quia semper, & utroque casu, tertius possessor ad præterita tenetur, *Barbosa de dictionibus dict. 293. num. 7. 8.*, ubi exemplificat de pensione super fructibus, imposita: *Merlin. de pig.*, & *hypoth. lib. 3. q. 14. num. 161.*, & pro hac annua pensione super fructibus in-

- trare Salvianum, pro tributo, & collecta, quibus taxa, pro Seminario æquiparatur, *Statil. de Salviano interdicto inspect. 3. c. 4. n. 600. 603. 631.*, & *ead. inspect. 3. c. 1. num. 4.*, quia successores in beneficio, fictione Juris, ad hunc effectum censentur una, & eadem persona, cum præcessore, quia in impositione taxæ, consideratur beneficiatus in abstracto, & sic pro ut comprehendit, omnes, & singulos in beneficio futuros, juxta considerationem, *Loter de re benef. lib. 1. quest. 39. num. 107.*, & idè omnes beneficiatos in solidum obligatos, constanter asseverat.
- 30 Nec difficilis videbatur solutio rationum, ex adverso propositarum; ad primam, quod in legatis annuis, fideicommissarius non tenetur pro præteritis, & non solutis ab hærede. *§. id verum, in legatis pro causa profana*, non verò in legatis piis, ut in nostro casu, & sic limitando notat, *Simon. de Præc. de interpret. ult. vol. lib. 5. dub. ult. num. 30. fol. mibi 572.*, & *lib. 4. dub. 11. num. 30. post medium fol. 426.*, *Gratian. discip. for. c. 294. num. 11. post Gigant. de pens. 9. quest. 39.*
- 31 Ad secundam. *§. immò pro utilitate, & necessitate, omnium Ecclesiarum, fuisse erectum Seminarium, & taxam impositam, ut ut ex Trid. dicto præcitato c. 18.*, liquidò patet; nec obstat *c. 1. de solut.*, quia non loquitur de onere inposito à lege, sed de debito, ex contractu præcessoris, & sic debet respicere necessitatem, vel utilitatem, individualiter illius Beneficii.
- 32 Et tertio, non obstat negligentia administratorum, de qua est præsens institutio, quia ex dictis *art. 9. p. 1. constat*, quod negligentia, soli negligentis nocere debet, & non aliis, *l. electio verò §. ult. l. rem hereditariam in fine ff. de evict.*, *cum aliis in d. art. 9. congestis*, sicque in specie, ex negligentia, Prælatorum, Ecclesia non debet damnum pati, ut est *tex. inc. licet in regulis 16. quest. 3. in c. auditis de in integr. restit. in fine, c. nihil prodest de præscript.*, *Riccus decis. Neapol. 54. p. 4.*, idè negligentia Curatoris, vel Procuratoris, non nocet minori, neque Ecclesiæ, quæ cum minoribus, eodem utitur privilegio, saltem quatenus restituantur in integrum; *Barbosa in c. requisivit num. 4. 5. de in integrum restit.*, *Odd. de restit. in integrum p. 1. q. 4. num. 77. 108.*, *Laderch. conf. 63.*, *Barbosa ad c. cum propter num. 5. de Jur. Patron.*, *post Natans conf. 501. num. 44.*, *Capu-*
- taquen. decis. 128. num. 1. p. 2.*, *Marius Antoninus variarum resolutionum lib. 1. ressol. 55. nu. 9.*, Nam adversus tertium possessorem, datur restitutio in integrum: *Odd. de restit. in integrum p. 1. q. 31. art. 17.*, & intrare, in omni specie annuarum præstationum, canonum, tributorum, censuum, pensionum: dixit *Odd. eod. tract. quest. 89. art. 9. num. 73. 74. 75.*, sicuti non est dubitandum, quod Seminario, tamquam loco pio, non competat restitutio in integrum, propter læsionem passam, ex negligentia administratorum, ad tradita per *Odd. supradictò tract. quest. 3. art. 5.*
- 33 Ex prædictis hinc inde allegatis, & consideratis, existimavi, prius ipsos Administratores, vel eorum hæredes, esse conveniendos, si sint solvendo. Dato quod probari possit ipsos Administratores, fuisse culpabiliter negligentes, negligentia enim non præsumitur, cum sonet in delictum; neque probatur, ex eo quod appareat per eos, non fuisse exactum, sed probandum esset, quod beneficiati non exacti, de tempore exactio nis fuerint exigibiles, & facilis exactio nis, quia poterat esse, quod non essent exigibiles, ex aliquo impedimento, & tunc Impeditus non exigens, non potest dici negligens, *Royas decis. 189. num. 9.*, & *seqq.*, & *Rota decis. 111. num. 6. p. 17. recent.*, *Soccin. consil. 146. num. 1. Vers. Testium est lib. 1.*, probata autem administratorum negligentia, contra eos datur actio, sicuti datur actio ad interesse, contra Procuratorem negligentem, si sit solvendo, *Soccin. de appellat. quest. 15. num. 136. Vers. (secus est)* si verò reperirentur, non solvendo, in subsidium, dandam esse Seminario restitutionem in integrum, adversus omnia, & neglecta per dictos administratores, ut de Prælato negligente tradit *Abbas in c. dilectus num. 10. de majoritate, & obedientia, Gail. observat. 70. lib. 1.*, *Costa de remedio subsidiario remed. 4. in fine*, *Calvin. de æquitate Canonica lib. 3. c. 238. num. 24. 25. 26.*, & bona administratorum rerum Ecclesiæ, sunt obligata Ecclesiæ, si male administraverint, *glos. in c. ex litteris in Vers. obligata de pignoribus*, ubi, *Barbosa nu. 10.*, post eum *Sperell. decis. 154. num. 79.*, *Riccus decis. Neapol. p. 4. decis. 54. nu. 10.* Quæ idè habent locum, quia exactores recipiebant lucrum, ex ipsa exactio-

- 34 Prosequendo nunc de negligentia Administratorum, inter cætera illud notandum, quod nomina debitorum, non exacta propter negligentiam Administratoris, cedunt periculo ipsius Administratoris *l. Cbirograf. l. qui negotiationem §. penult. l. si tutella §. penult. l. cum queritur ff. de administ. tut. l. debitoribus C. eodem tit. Soccin. conf. 2. & ex aliis pluribus allegatis firmat, Gratian. discept. foren. c. 626. num. 1. & seqq. Lo-sens de Jure universitatum p. 3. c. ult. num. 32. & seqq.*
- 35 Ex mala, seu negligenti administratione, non propterea infertur ad furtum, ita ut Administrator malus, ex negligentia dicatur fur, quia ad hunc effectum, ut dicatur fur, requiritur dolosa, & mala administratio, in committendo *glos. in l. tres tutores in V. contractare ff. de administ. tut. Farinac. conf. 7 num. 9. lib. 1. & in fragm. Crim. p. 1. in Vers. Administrator num. 33. & 40. Gratian. discept. foren. iisdem allegatis c. 935. num. 12.*
- 36 Negligentia administratoris, in custodia librorum administrationis, condemnat eum, ita ut si dicat amisisse libros, nec amissionem probaverit, potius præsumitur occultasse, & contra eum datur juramentum in litem: *Menoch. de arbitr. Judic. l. b. 2. c. 208. num. 19. Farinac. fragm. criminal. p. 2. littera F. num. 1077. Carleval. de jud. lib. 1. tit. 3. d. 7. num. 13. & via pariter executiva competit. Giurbq. decis. 15. num. 10.*
- 37 Nec relevant adnotata per *Farinac. fragm. Crim. p. 1. littera A. in Vers. amissio num. 209.*, ubi de eo, qui tenetur exhibere, libros ex officio Judicis, & num. 110., ubi de eo, qui tenetur jure actionis, quod scilicet si amiserint libros, & scripturas id probant, juramento suo, vel per testes, & liberantur; nam ea habent locum in casu, in quo loquuntur, ibi doctores allegati, scilicet, quando amissio contingit casu fortuito, vel quando amissio nemini nocet, juramentū juranti prodest: *Farinac. Frag. Crim. dicto Vers. Amissio num. 214. in fine*, non autem

ex negligentia ejus, qui tenetur custodire; idè exemplificant, si libri amittantur ex incendio, furto, combustione, aluvione, de populatione, aut simili alio casu, in quo non potest amissio, imputari negligentie Administratoris, aut Custodire debentis.

38 Ex quibus deducitur, quod Administrator allegans amissionem, non solum debet probare amissionem, sed etiam casum fortuitum, alioquin non evitabit pœnam negligentie; *Mascard. de probat. concl. 470. num. 1.*, ut constare possit amissionem evenisse, absque sua culpa, cum casus plerumquè, custodis culpa contingere soleat; *Vulpian. in l. cum duobus §. damna quæ ff. pro solio, §. præterea instit quibus modis re contrahatur oblig. Mascard. de prob. concl. 271. n. 3. & 6.*, ubi, num. 8., fallit si casus sit ejus generis, qui soleat evenire absque culpa custodis, ut vis hostium, aluviones fluminum, & alii similes, vel ii, qui facti, & necessitate naturæ, omninò contingere solent, absque facto, aut culpa hominis; *Salicet. in l. quæ fortuitis C. de pignor. actione num. 6.*

39 Tutor, vel quilibet alius administrator, tenetur investire pecuniam, quam administrat, in tutas occasiones fructiferas, ut sunt bona stabilia, census, vel loca montium, ex latè deductis per *Sperell. decis. 90. Leotard. de Usur. quæst. 18. num. 36.*, *Rota in Romana pecuniaria 28. Januarii 1636. coram Lancirolo, de Luca de Usuris discurs. 15. num. 7.*, non tamen ex eo, quod non acquisivit, dicitur probata negligentia Tutoris, sed volens probare, eum fuisse negligentem, debet probare, eo tempore fuisse prædia venalia, & tuta, quæ emi potuerint, ex allegatis per *Menochium de recuperanda possess. remed. 7. quæst. 5. num. 23.*, & tunc ex quò non emit dicitur negligens, & de sua negligentia tenebitur ad allegata per *Bartolum Consil. 102. sub nu. 1.*, *Tusch. Versic. Negligentia concl. 32. num. 2.*

Ad Ar.

Ad Articulum de Negligentia Appellantium.

SUMMARI A.

- 1 Appellatio, quæ inventa est in levamen oppressorum, quandoque fit remedium opprimentium.
- 2 Pluribus modis appellans potest esse negligens.
- 3 Primo, non appellando in termino à Jure concessio.
- 4 Negligente Procuratore appellare, qualiter Principalis appellet Virtute Statuti, & nu. 8. qualiter ei succuratur.
- 5 In compromissis ex statuto, conceditur terminus decem dierum, ad appellandum.
- 6 De Jure communi, terminus ad appellandum, est decem dierum à die scientiæ, latæ Sententiæ.
- 7 Nisi ignorantia sententiæ latæ proveniret ex negligentia culpabili.
- 8 Si sententia sit lata sub conditione, terminus ad appellandum, currit non expectato, conditionis, implemento.
- 9 Impedito, non currit tempus ad Appellandum.
- 10 Diversi termini assignantur ad appellandum, secundum diversa, locorum, statuta.
- 11 Appellans non rediens, in termino 30. dierum, pro apostolis, est negligens.
- 12 Non est necesse instare pro Apostolis, in ipso actu appellationis.
- 13 Neque si appellatio fiat absente Judice, sed coram probis Viris.
- 14 Judex expetitus, pro Apostolis, debet infra 30. dies respondere, alias, & ipse culpatur negligentia.
- 15 Appellans non tenetur redire pro Apostolis, primo si commissio Appellationis, sit cum clausula, ut non teneatur redire.
- 16 Secundo, si Judex tacite, vel expresse, denegat respondere.
- 17 Tertio, si Judex, loco Apostolorum, assignet novum terminum.
- 18 Appellans negligens est, si non se presentet coram Judice, ad quem in termino sibi præstituto à Judice à quo.
- 19 Appellans sit negligens, si non curet committi causam infra biennium, & appellatio sit deserta.
- 20 Neque per mortem appellantis interruptitur cursus fatalium, id est biennium, dum hæ-
- redes possunt agere.
- 21 Terminus biennii non currit, impedito tali impedimento, quod non possit ab eo tolli.
- 22 Terminus non currit pendente compromisso.
- 23 Neque si propter paupertatē Appellans re, vera impediatur agere, dummodo protestetur, vel sit notoria.
- 24 Minor restituitur adversus lapsum termini, ad impetrandam commissionem appellationis.
- 25 Neque currit, si Appellans allegaverit Judicem suspectum, & appellaverit ab ulteriori processu.
- 26 Neque si sententia Judicis, à quo fuit injusta, ut non transeat in Judicatum.
- 27 Lapsus unius diei ultra terminum, ex equitate non præjudicat, quando dati sunt Apostoli Reverentiales, nec curavit Appellans, committi causam in termino decem dierum.
- 28 In dubio, an causa sit deserta, Judex arbitratitur.
- 29 Impetrata commissione, quidquid medio tempore gestum est, dicitur attentatum.
- 30 Appellatus, potest prævenire appellantem in aliquibus casibus, nisi faceret ad supplantandum appellantem.
- 31 Impedito, non currit tempus ad impetrandam commissionem.
- 32 Maxime si impedimentum proveniret, ex facto Appellati, vel facto utriusque.
- 33 Si impedimentum proveniat ex facto Judicis, opus est protestatione, alias appellans est negligens.
- 34 Tempore Sedis Pontificiæ Vacantis, non currit tempus impetrandæ commissionis.
- 35 Si impedimentum contingat facto tertii, currit tempus, sed datur impedito, actio contra Impedientem.
- Currit etiam, si Impedimentum contingat casu fortuito, sed restituitur adversus lapsum fatalium.
- 36 Non transportans acta omnia, & integra, incurrit culpam negligentie; spectat tamen ad Appellatum, ut doceat de Justitia sententiæ; spectabit ad appellantem, si dicat de nullitate.
- 37 Quandoque unaqueque pars transportat sua Jura

Jura, & una monita, nec transportante sua, Judex judicat ex Juribus alterius partis transportatis.

38 De Jure Canonico instantia est perpetua, unde facta commissione, pars tacendo, non est negligens.

39 Trid. sess. 24. c. 20. de reform., non præfigit

ARTICULUS IV.

De Negligentia Appellantium.



Ontingit non raro, ut qui succubuit in Judicio appellet, negligat tamen appellationem prosequi, vel quia de suo Jure diffidat, vel ut Victorem Incommodis, & expensis litis, fatiget, hinc est, quod D. Bernardus lib. 3. de consideratione cap. 4. de appellatione loquens, ait, quod sæpe hoc antidotum oppressorum, vertitur in venenum, & fit suffragium opprimentium, quod debet esse refugium, sicque appellatio, quæ inventa est, in levamen oppressorum, fit remedium malignantium, l. 1. ff. de appellat. c. cum Speciali, §. porro de appellat., & prosequitur D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 3. in corpore, de qua negligentia agimus, & nos in præfenti.

2 Potest autem in hac materia, incurri negligentia, pluribus modis, & ex pluribus capitibus; primo non appellando in termino; secundo non recurrendo pro apostolis, pariter in termino; tertio non curando causam committi in termino; quarto commissam causam non prosequendo.

3 Primo ergo capite, negligens dicitur, qui non appellat in termino à Jure communi, vel à Statuto, determinato, nam ex Statuto Ferrariæ, terminus ad appellandum est dierum quinque, à die sententiæ definitivæ latæ, ut rub. 65. lib. 2., quod & idem disponitur, ab interloquatoria vim definitivæ habente, qui terminus incipit currere à die scientiæ, Cerro decis. 140. num. 12, & 13, decis. 526. num. 4. Ubi id verum, si citatio fuit exequuta domi, alias si personaliter, tunc incipit currere, à die latæ sententiæ, ad in l. Judicibus 24. C. de appellat., quod tempus est continuum; Ab interloquatoria verò, non habente vim definitivæ ex eo-

instantiam causæ, sed liberum est partibus prosequi causam, etiam elapso biennio.

40 Si verò pars appellans, per longissimum, temporis, cursum negligat causam prosequi, adhuc censetur deserta, & longissimum tempus, in hoc casu, censetur cursus 30. annorum n. 42.

dem Statuto, terminus est duorum dierum Qui ergo in præstituto termino, non appellaverit, negligens, dicitur, & effectus hujus negligentia est, ut Sententia lata firma maneat, Pigant. ad dictam rub. 65. nu. 26. ubi num. 38., quod appellans ab interloquatoria, debeat statim, vel saltem sequenti die, prosequi causam, & petitionem producere, quod si negligat, intelligitur appellationi renuntiatum, & sententia firma manet, ubi num. 39. ex eodem Statuto notat, quod appellatione deserta, non remanet causa nullitatis, quod de Jure communi, non sequeretur; Limita hoc dictum de Jure communi, si nullitas deducta fuit in iudicio, incidenter; & accessorie ad appellationem, per viam tamen actionis, tunc quia Instantia nullitatis est eadem, ac instantia appellationis, ideò deserta causa appellationis, fit etiam deserta causa nullitatis, Ridulf. in praxi Judic. p. 1. c. 13. num. 274., & num. 40. Pigant., quod huiusmodi petitio, & prosequitio intimari debet parti, hora saltè sequenti non feriata, alias appellatio habetur pro deserta, quia paria sunt, non appellare, vel non prosequi appellationem, debito modo, l. fingli §. illud, ubi glos. C. de tempor. appellat.

4 Ex eodem Statuto rub. 70. Si procurator, fuerit negligens in appellando, indulgetur domino, adhuc posse appellare, in termino à die scientiæ, quæ indulgentia operatur, ut negligentia Procuratoris, non noceat principali, sicuti attentio Jure communi, noceret, l. 1. §. fin. ff. quando appell. fit Pigant. ad dictam rub. 70. num. 1. ubi num. 10. quod hoc beneficio, non gaudent forenses, quia Statutum est decisorium.

5 In compromissis verò voluntarie factis, præter

præter formam statuti reclamans, vel reductionem petens, ex eodem Statuto Ferrariæ, habet terminum decem dierum, à die lati laudi, ejusque scientiæ, numerandorum; quare si negligat infra id tempus reclamare, amplius non audiat, sed laudum executioni demandatur, quod habet locum etiam in nullitatis dictione, ex notatis per Pigant. ad Rubr. 65. num. 75.

6 De Jure autem communi, terminus ad appellandum, est decem dierum, Auth. bodie C. de Appellat. c. Anteriorum 2. q. 6., c. cum dilectus in fine de elect., c. quoad consultationem de Sent., & re judic., c. concertationi de appellat. in 6., qui enim potest Juris remediis oportunis aliquid consequi, eisque non utitur, ac tempus labi permittit, negligens est, c. licet Episcopus de præb. in 6., Riminald. Junior. consil. 48. num. 11., qui terminus, incipit currere à die scientiæ latæ sententiæ, Coccin. decis. 356. num. 1., & 2. Otobon. decis. 170. num. 14. 15., latè Antonell. de tempore legali lib. 4. cap. 23. num. 4, glos. in c. Concertationi supracit. in V., & intelligendo, sciverit non solum actum illum factum (nempe Sententiam emanasse) sed per illum se gravatum, ex qua glos. Barbosa ibid. colligit, quod ubi agitur, de aliquo gravi præjudicio, non sufficit alicujus facti, qualecumque scientiam habere, nisi habeatur, etiam scientia qualitatum, & circumstantiarum ejusdem, ut per Tiracuell. de retractu lignager §. 36. glos. 2. num. 3., & seqq., Bertazzol. consil. 357. num. 40., & 46., Tuscb. V. Scientia concl. 66. à nu. 1., & seqq., Seraphin. de Privileg. Juram. privil. 4. num. 143., & seqq., qua scientia deficiente, non fit negligens, qui non appellat, Coccin. decis. 2088. num. 48. 50.

7 Limita tamen, nisi ignorare sententiam latam, cum suis qualitatibus, proveniret ex culpabili negligentia, quia tunc ignorantia, à negligentia in non appellando, non excusaret, Scaccia de appellat. q. 12. num. 10.

8 Tactum est supra, quod de Jure communi, negligentia procuratoris, in non appellando, noceat principali, qui debet sibi imputare, si procuratorem negligentem constituerit; quod procedit, quando Procurator est solvendo, nam tunc principalis, potest agere contra Procuratorem, ut sublevetur ab huiusmodi præjudicio; secus si non esset solvendo, quia tunc Principalis,

poterit appellare, intra decem dies, à die scientiæ ex allegatis per Antonell. de tempore legali lib. 4. c. 23. num. 12.

9 Amplia etiam, si sententia esset conditionalis, ut (nisi infra tres solveret), quia tunc incipit currere tempus, à die latæ sententiæ, non verò expectatur, conditionis implementum, l. 1. §. biduum ff. quando Appell. sit., c. Biduum 2. q. 6., Antonell. de tempore legali lib. 4. c. 23. num. 2.

10 Limita regulam positam, in impedito, cui non currit tempus appellandi (ut diximus in principio hujus tractatus de negligentia in communi) quod scilicet non potens agere, non dicitur negligens. Paris. de resignat. lib. 11. q. 13. num. 13., dummodò tamen non possit impedimentum submovere, quia si potest, & non tollat, adhuc negligens est, Scaccia de appellat. q. 15. num. 34., & latius probavimus in prima parte; Impedimentum autem allegans, cum sit quid facti, non præsumitur, sed tenetur illud probare. Joseph Ludovici decis. Perusin. 36., alique allegati per Barbosam, in c. cum sit Romana num. 7. de Appellat.

11 Ex peculiari, locorum, statuto, alii constituuntur termini ad appellandum, ut memorat, Scaccia de appellat. q. 12. sub num. 4., ut in foro Capitolino, octo dierum, in Gallia, illicò sit appellandum &c., unde ad effectum incurrendi negligentia notam, termini locorum, sunt attendendi.

12 Ex secundo capite incurritur negligentia, si postquam quis appellaverit, non redierit in termino, pro apostolis, idest pro obtinendis litteris dimissorialibus, seu renunciatoriis, quibus Judex à quo, nuntiat judici ad quem, se detulisse, vel non, appellationi, Gregor. decis. 573. num. 1., ubi addent. num. 12. 13. decis. 420. num. 2. part. 2., & decis. 526. nu. 1. part. 18. recent., multiplices autem sunt apostoli, de quibus Scaccia de appellat. lib. 2. q. 13. art. 1., appellans ergo debet redire, pro apostolis reportandis in termino juris, qui est 30. dierum, tex. in c. Ab eo de Appellat. in 6., & sunt necessariò petendi, quia sunt pars appellationis, Scaccia de appellat. dicta q. 13. art. 3., alias non redeundo, censetur renuntiasse appellationi, quæ renuntiatio effectus est negligentia, ex eod. c. Ab eo de appellat. in 6., Otobon. decis. 23. num. 1., decis. 40. num. 1., decis. 94. num. 1., Ubi quod iste terminus